



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De circularibus Leonis literis. Caput IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

dunt absumendum: & cineres illius in ventum spargunt dissipantque, adeo ut effratam bestiarum immanitatem longe superare viderentur. Atque istorum omnium malorum author & architectus fuit Timotheus. Zacharias autem, qui res easdem narrat, literis nimirum Timothei ad Leonem missis persuasus, tradit plura præterea gesta esse, idque culpa Proterij, qui maximas turbas, ut ait ille, in Alexandriam inuenerat: facinoræque ea non à populo, sed à quibusdam militibus designata: eoque missum Stelam ab imperatore Leone, penas illis inflicturum.

De circularibus Leonis literis

Caput IX.

Leo imperator cum ab episcopis remp. Romanam incolentibus, tum ab alijs pijs viris ob monasticum vitæ genus plurimum cõmendatis, de concilio Chalcedonensi, & Timothei cognomento Aeluri creatione interrogasset, literas generatim ad omnes scripsit: misitque unâ exemplaria supplicum libellorum tum à Proterij, tum à Timothei fautoribus sibi oblatorum.

Literæ autem Leonis quaqua versum ad oes missæ sunt his verbis cõpositæ. Exemplar literarum diuinarum sanctissimi imperatoris Leonis, Anatolio episcopo Cõstantinopolitano, & oibus alijs per totum orbem terrarum metropolitanis, episcopisque reliquis missarum.

Imperator Caesar Leo, Pius, Victor, Triumphator, Maximus, semper Augustus, Anatolio episcopo, S.

FVit meæ pietati in optatis, ut tum oes sanctissimæ orthodoxæque ecclesiæ, tum præterea ciuitates reip. Romanæ subiectæ summa tranquillitate fruerentur, nihilque accideret, quod quietum earum statum perturbaret. Quæ autem turbæ nuper Alexandriæ contigerint, tuæ sanctitati minime iam obscurum arbitramur. Verum quod accuratius oia intelligas, & quæ causæ tanti tumultus, tantæque perturbatiõnis extiterint, verè cognoscas, exemplaria supplicum libellorum, quos sanctissimi episcopi & Clerici à prædicta vrbe, & diocesi Aegyptiaca Constantinopolim

Hh

urbem

111
 urbem imperij primariam, aduentantes, contra Thimotheum ad meam pietatem attulerunt, quin etiam exemplaria, supplicum libellorum, quos quidam etiam Alexandria à Thimotheo ad Castra nostra accedentes, nostrae clementiae tradiderunt, ad tuam pietatem misimus: ad eum planè finem, uti quid factum sit à Thimotheo, quem ut populus Alexandrinus, & primarij viri, & ciues, & nauclerij sibi poposcerunt episcopum: de quæ alijs rebus in ipso supplicum libellorum corpore comprehensis, & præterea de Chalcedonensi concilio, cui minime assentiuntur quidam, sicut libelli supplices infra positæ declarant, tua sanctitas perspicuè intelligere possit.

Proinde tua pietas faciat, ut omnes orthodoxi & sancti episcopi, qui in hac urbe primaria in præsentia commorantur, quin etiam omnes sanctissimi clerici confestim apud se conueniant, & omnibus rebus (quippe Alexandria, quæ uti in statu tranquillo & pacato locetur, nobis maximè curæ est, iam est vehementer turbata) diligenter tractatis disquisitisque, quid de eo, de quo supra diximus, Thimotheo, quid etiam de concilio Chalcedonensi, omni humano timore, gratia, & odio penitus deposito, soloque Dei omnipotentis timore ante oculos statuto (nostis enim vos de hac re sanctæ eius & synceræ diuinitati rationem reddituros) quid inquam, vobis videatur, planè significetis, quo nos de omnibus per vestras literas certiores facti, edictum, quod apposite illis conueniat promulgare possimus. Istæ quidem sunt literæ scriptæ ad Anatolium. Non dissimiles ab eodem imperatore scriptæ fuerunt, cum ad alios episcopos, tum ad viros illustres, qui per id temporis, ut supra demonstratum est, vitam inopem, & rebus omnibus ad victum necessarijs destitutam egerunt: ex quorum numero Symeones (de quo superior nostra mentionem fecit historia) fuit: qui quidem primus omnium cœpit in columna habitare, illudque domicilij genus inuenit. His annuntiantur Baradatus & Iacobus Syrii.

De quibus rebus episcopi & Symeones qui columnam incolebat rescripserunt. CAP. X.

Primum